

tom. 4. 2<sup>o</sup> Juxta certissimas anatomicas observationes ac repetita experimenta, cor magnâ nervorum copiâ instructum esse. Nonnulli physiologi dubitarunt utrum cor nervis esset instructum; Beherendius ulterius progressus protinus nervos cordi negavit, ac clarissimus Searpa magnam nervorum cardiacorum copiam ita demonstravit, ut jam nemo invenitur, qui de hac re quæstionem moveat, aut dubium. Vide ib. et lez. 42, *Sistema nervoso* 3<sup>o</sup> Omnes nervi systematis partes suam habere efficaciam, existere per se; neque à cerebro, aut spinâ medullâ omnimodè pendere (1), ac propterea, quod consequens est, cordis actionem neque à cerebro, neque à medullâ spinali dimanare; excitari tamen, si stimuli hisce partibus applicentur, cum omnes partes ejusdem systematis amicè inter se conspirent, et aliæ aliis partem suâ efficientiæ communicent, omnesque ad totius systematis actionem aliquid conferant (2). 4<sup>o</sup> Exploratum præterea apud eosdem est cor præ ceteris musculis intractabilitate, ut loquuntur, contractilitate, irritabilitate, atque exquisitiori quâdam sensitivitate donari ob nervos, quos vocant sympathicos, quibus abundat. Hinc 3<sup>o</sup> motus cardiacos animi affectionibus ac passionibus, præsertim si vividiores ex sint, ita subesse, ut subito cor vel subsiliat lætitiâ, vel angatur mœrore; ac propterea ejusmodi motus cardiacos solâ pathematum animi vi et efficaciam perverti, totamque irrigatorium systema perturbari (3); quòd si pathema vehemens et con-

(1) Confer eandem lib. lez. 47, *Muscoli*, tum in op. *Elementa physiologie*, Taurini 1835, lib. 1, pag. 25-31, ubi affert experimenta Wilsonii, ex quibus constat cordis actionem neque à cerebro, neque à medullâ spinali dimanare. Plures enim nervi à gangliis prodeunt; sic plerique nervi cardiaci ex ganglio sub corde posito originem habent. Ex his patet quibus melius competat *cerebellistæ*, aut *pinealistæ* denominatio, an nobis scilicet, qui plerosque nervos cardiacos ex gangliis repetimus cardiacis et respectivo plexu, an verò Grégoire, qui omnes nervos repetit cum suis à cerebro, aut encephalo, et medullâ spinali, in quo non meliorem physiologum, quam theologum se præbet.

(2) Ibid. tum p. 25, seq., ubi Bichati, Richevandii aliorumque hypotheses falsitate laborare ostendit, qui nervi systematis sensiferi centrum in encephalo collocant.

(3) Ibid. p. 31. Vide præterea *Dictionnaire abrégé des sciences médicales*, Milan. 1825, art. *passion*, p. 357, seqq., necnon *Physiologie des passions*, par J. L. Alibert, Paris, 1825, duobus vol. in-8. Ex ejusmodi perturbatione quam systema irrigatorium ab animi affectionibus patitur, explicatur sudor sanguineus Christi

trans fuerit, morbosam affectionem et organum interdum vitium in corde ingenerari, quandoque verò et mortem ipsam, ut suo loco pathologi docent (1). Hæc autem aliaque non pauca consultò à nobis prætermissa, ne in alienam provinciam excurrere videamur ad theologum non pertinentem, et à quâ, ut diximus, cultus iste nullo modo pendet, satis evincunt, cor animi affectionibus maximè affici eo ipso quòd in nervo systemate sensitivitate et affectionum sedes collocatur, ac sub hoc respectu verè cor dici et esse affectuum organum et instrumentum præcipuum, imò et sedem (2).

Ad quintum, distingo: Quoad festi celebrationem, concedo; quoad rem ipsam, nego. Alloquin innumere propè ejusmodi devotiones hoc prætextu excludi ac respici deberent, quæ cum primùm peculiari festo et officio cohonestabantur, novæ erant. Confer Marques. cit. p. 1. consecr. propos. 9, art. 4. Addehanc difficultatem æquè premere cultum cordis symbolice, quem tamen adversarius cum suis commendat.

Domini in horto, de quo S. Luc. 22, 44; nam systole et diastole, quæ duos præcipuos consituunt cordis motus qui sanguinis circuitioni inserviunt, perturbata sunt in functionibus suis, et anormales effecta phænomenon illud produxerunt. Haud me latet Hilarius Pictav. lib. 10 de Trin. n. 41, prodigiis accensere ejusmodi sudorem sanguineum, dum scribit: « Contra naturam est sudare sanguinem. » Verbum non modò Aristoteles in *Hist. anim.* lib. 3, cap. 19, et de animal. partibus, lib. 3, c. 5. Galenus, seu quisquis auctor est libri de *Utilitate respirationis*, Theophrastus Eresius in tract. de *Sudoribus*, sed etiam post restauratas litteras in Italiâ Collius de *Sanguine Christi*, Greg. Leti in vita Sixti V, lib. 6. Saporitius in *Ephemeridibus Germanicis* an. 1712, in Galliâ Maldonatus in *Matth.* 26, 37. Eagonius facultatis parisiensis medicus in thesi an. 1665. Marvillius *Miscellaneorum* tom. 5. Tuanus *Historiarum* lib. 2, in Germaniâ Schenkens observat. 158, lib. 6; in Helvetiâ Conradus Lycostenes in *Prodigiorum ac ostentorum Chronico*, aliique viri docti non pauci suis temporibus mares ac feminas vel morbo sollicitas, vel animi mœrore confectas, sanguine sudasse, sive quòd ipsi viderint, sive diligenter exploratâ veritate tesiantur. Vide Calmetum dissert. de sanguine Christi Sudore. Quæ ideo attulimus, quia mirificè rem nostram confirmant.

(1) Confer inter alios cit. *Dictionarium*, 1. c. p. 534, et Allan Burns *Osservazioni sopra più frequenti malattie del cuore*, trad. dall'inglese. Milano 1816.

(2) Non quatenus cor centrum est systematis irrigatorii, sed, ut diximus, ob quantitatem et qualitatem nervorum quibus instructum est.

Ex unione hypostatica fluunt tituli illi, quibus Christum in sacris litteris insignitum novimus, et officia seu munia, ad quæ obeunda Dei Filius humanam naturam sibi copulavit.

Præcipui tituli ac munia, quæ Christo tribuntur, sunt Capitis hominum et Angelorum, Prophetæ, Regis, Judicis, Sacerdotis, Dei hominumque Mediatoris. De quatuor primis nulla viget controversia; ast non levis quæstio agitur inter Catholicos et Socinianos circa sensum, quo postremi duo tituli Christo competant. Quare priores illos vix exponemus, posteriores appositis propositionibus juxta catholicam doctrinam vindicabimus.

I. Igitur Christus dicitur et est caput hominum et Angelorum. *Hominum* quidem ratione animarum, in quas influit per gratiam suam, sive actualem, sive sanctificantem: ratione corporum, quæ ipse aliquando a mortuis excitabit; ratione finis seu beatitudinis ad quem homines ejus munere ordinati sunt, quæ duo postrema suo loco jam vindicavimus, primum autem postea ostendemus. Exponit autem s. Thomas qua ratione omnes homines ad Christum tanquam caput pertineant, scribens: « Christus est caput omnium hominum: sed secundum diversos gradus. Primo est caput eorum, qui actu uniantur sibi per gloriam: secundo eorum, qui actu uniantur sibi per charitatem: tertio eorum, qui actu uniantur sibi per fidem: quarto eorum, qui sibi uniantur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum divinam prædestinationem: quinto eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, quæ nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes, totaliter desinant esse membra Christi » (a). Sed et Angelorum caput est, Christus ut declarat Apostolus, *Coloss.* II. 10. dicens: « Qui est caput omnis principatus et potestatis » et rursum *Ephes.* I. 18. et seqq. nam et Angelis dignitate præstat et potestate, et sunt præterea Angeli « Administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis » ut idem Apostolus loquitur *Hebr.* I. 14. Quod si Christus hominum et Angelorum caput est, hoc ipso patet eum esse caput ecclesiæ juxta triplicem suum statum, triumphantem scilicet, purgantem et militantem.

II. Est præterea Christus Jesus propheta ac magister, qui e cælo venit ad homines cælesti planè ac divina doctrina imbuendos, ut ex dictis suo loco constat, et ex Veteri ac Novo Fœdere, in quibus ejusmodi tituli passim ei tribuntur.

(a) 3 P. q. 8. a. 3.

Ad 6, *Dist.* Ex parte Jansenistarum eorumque gregalium, *conc.*; ex parte piorum Catholicorum, saltem postquam ab Apostolica Sede probatus est, *neg.* Quot oppositiones non sustinuit festum Conceptionis B. Virginis (a)? Quot festum Corporis Christi? Sane de posteriori hoc festo apud Bollandianos legitur: *Festivitatem illam positam fuisse in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum cui contradiceretur; innumerabiles habuisse contradictores et atrocissimos impugnatores* (b). Quid inde? Festum Corporis Domini a S. Sede probatum perseverat, et nomina impugnatorum, utpote in pulvere exarata, levioris auræ impetu perierunt; idem contingit et continget de festo SS. Cordis Jesu deque ejus impugnatoribus (c).

Ad 7, *Dist.* Et hæc agendi ratio ineluctabile est documentum summe prudentiæ, cauteliæ ac maturitatis quibus commendatur S. Rituum Congregatio, *conc.*; aliquid officit ipsius causæ merito, quando approbata est, *neg.* Et sic cetera concedunt, quæ de machinationibus postulatorum adjecta sunt, inter quos auctor, quem impugnamus, ipsum involvit piissimum Rom. Pontificem Clementem XIII (d).

Ad 8, *Dist.* Eadem ratione, qua Catholicos læcessabant Apollinarista, dum eos vocabant *Anthropotras* seu *hominicolas*, *conc.*; jure merito, *neg.* Mirum est, non animadvertisse ejusmodi homines partium studio abreptos, se per hanc appellationem causam communem agere cum Apollinaristis, qui præterea eadem ferme argumenta urgebant adversus Catholicos Christi humanitatem, prout subsistit in divina Verbi persona, adorantes, quæ factiosi isti impugnatores urgent adversus cultum Cordis Jesu (e).

(a) Cfr. P. Victor a Cabal, *Ord. Min. Ref. in opere*, cui titulus: *De superstitiosa timiditate vitanda*.

(b) In *Vita B. Julianæ Leodiensis*, ad diem v April. lib. II, cap. 5, edit. Antverp. pag. 461. Integram caput illud legi meretur. Egregiam navarunt operam in promovendo ac tuendo hoc festo Patres incliti Ordinis Prædicatorum, qui propterea plurimorum invidiam subierunt.

(c) Loquor autem de iis, qui Sedi Apostolicæ decretis restiterunt.

(d) *Dans le temps*, inquit, *qu'on poursuivait cette affaire, on se demandait à Rome, quels sont les sollicitateurs? et tout bas, on se disait: c'est le pape*. Ita hic inveterandus Jansenista et Episcopus *conventionalis*, de cujus notitiis biographicis, obstinata perverciacia in schismate usque ad mortem, ob quam ei denegata sunt sacramenta, de ejusdem præterea sumere et scandalis, quæ inde orta sunt, Cfr. *L'ami de la Religion*, anni 1851, vol. LXVIII, in respectivis articulis.

(e) Cfr. Petav. lib. XV, cap. 3 et seqq. et Gerdii, op. cit.

III. Christo utpote Deo-homini regiam dignitatem tribuendam esse ostendunt inter cetera tum quæ Angelus Luc. I. 35. B. Virgini testatus est dicens: « Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis »; tum quæ Christus ipse aperte Pilato sciscitanti num rex esset, respondit: « Tu dicis; quia rex sum ego » (a). Hoc autem ejus regnum in terris inchoatur et in cælis perficitur (b). Sic judiciariam potestatem sibi vindicat Christus dum ait: « Pater... omne iudicium dedit Filio » (c) et apostolus Petrus de eodem Christo testatur dicens: « Ipse est constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum » (d). Alia addendo, tempus inutiliter tereremus.

His propterea sic leviter delibatis, jam accedimus ad vindicandam adversus socinianos doctrinam catholicam de Christi sacerdotio, ejusque mediatione.

Contendunt itaque sociniani I. Christum in terris degentem proprie sacerdotem minime fuisse, nec proinde verum obtulisse sacrificium, sed nonnisi post suam in cælum ascensionem munia sacerdotalia, quæ præcipue in sacrificii oblatione et in intercessionem consistunt obire cœpisse. Ex quo inferunt ejus mortem in cruce non fuisse nisi quandam præparationem illius sacrificii, quod solum in cælis reipsa obtulit ac quotidie offert (e).

Contendunt II. Christum non eo sensu mediatorem esse atque appellari, quod velut sponsor parti læsæ pro altera, quæ offendit, plene solvat, ac satisfaciatur, quo sensu vere et proprie Christum mediatorem esse catholici affirmant; sed improprie, quatenus ipse velut internuntius ac interpres utriusque partis, Dei scilicet et hominum fuerit, vel ut arbiter electus ad componendam litem, vel denique tanquam intercessor et advocatus; adversus quos errores sit

PROPOSITIO I. — *Christus verum ac proprie dictum habuit sacerdotium, ejusque munia in mortali etiam vita complevit.*

Utraque propositionis pars ad fidem pertinet, doctrinamque catholicam continet, quam Trident. concilium asseruit Sess. XXII. cap. I. et seqq.

Christum igitur vere ac proprie sacerdotem fuisse non ex ordine levitico, sed ex illo de quo David cecinit Ps. CIX. 4. « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech » aperte declarat Apostolus in Epist. ad Hebræos c. V. seqq. qui præterea ibidem duo efficit, ac primo ostendit quibus potissimum rebus Melchisedech Christi sacerdotium adumbraverit, nomine scilicet, persona, et oblatione; secundo præminentiam hujusce Christi sacerdotii super sacerdotium aaronicum fuse prosequitur (f). Hoc

(a) Jo. XVIII. 37.  
(b) De Christi regno ejusque natura Cf. Suarez. tom. I. in III. P. s. Thomæ disp. XLVII. sect. I. et II. necnon Petav. lib. XII. c. XV.

(c) Jo. V. 22.  
(d) Act. 10. 42. Qui plura cupit conf. Suarezium I. c. tom. II. Disp. LII. seqq.

(e) Cf. Faure S. J. in Dissert. de socinianismo §. 12. quæ extat ad calcem Manualis controvers. Becani edit. colon. 1750.

(f) Ac I. quidem quia sacerdotium Christo cum

principio constituto, videndum superest, num Christus reipsa sacerdotalia munia in mortali etiam vita sua obierit.

Jam vero Apostolus ad duo præcipua capita revocat sacerdotis officia, ad sacrificii nempe oblationem, atque ad intercessionem scribens c. V. 1. « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». Utrumque autem Christum in mortali adhuc vita degentem præstitisse luculentissime non solum affirmat, sed instar certi principii ponit.

Atque ut incipiamus ab eo quod præcipuum est, oblatione, scilicet seu sacrificio, id inter cetera evincunt, quæ scribit ibid. c. IX. 11. « Christus, inquit, assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? » Quibus verbis Apostolus Pontificem veteris legis cum novæ legis Pontifice, Christo, ita comparat, ut quemadmodum ille priusquam ingrederetur in Sancta Sanctorum sacrificium offerebat per effusionem sanguinis

jurejurando impositum est; aaronicum vero non item. Hebr. VII. 20. 21. ex quo colligit Apostolus sacerdotii Christi præstantiam. Neque enim minoris, sed majoris momenti rebus confirmandis juramenta solent adhiberi. Insuper autem cum res jurejurando firmata nec rescindi possit, nec immutari, ideo jurejurando confirmatum est Christi sacerdotium, utpote futurum æternum. Sacerdotium autem aaronicum, cum esset aliquando abrogandum, non debuit juramento confirmari.

2. Hæreditarium aaronicum sacerdotium a parentibus in filios fuit. Christus autem nec successit alteri, nec successorum habet, siquidem eo quod manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Ibid. VII. 24.

3. In sacerdotio aaronico distinguebatur hostia a sacerdote: in sacerdotio Christi, idem est hostia ac sacerdos. Etenim Christus non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, ut ibid. ait Apost. c. IX. 11. seqq. et X. 5. 6.

4. Efficacia: nam « impossibile est, ut idem apostolus loquitur X. 4., sanguine hircorum et taurorum auferri peccata ». Christus autem se ipsum obtulit hostiam pro peccatis omnibus, atque « una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos » ib. 12-14.

5. Denique, aliis prætermissis, sacerdotium aaronicum in terris peractum est: sacerdotium autem Christi in terris quidem inchoatum est, sed est consummatum in cælis. Ib. VII. 26. Unde ab Apostolo Christus vocatur Pontifex magnus, qui penetravit cælos » IV. 14.

De Melchisedech et Christi sacerdotio secundum ejus ordinem cf. Petav. lib. XII. c. XI. seqq. Peregrinum in Genes. XIX. n. 80. seqq. Lorinum in Ps. CIX. Justinianum in Septimum epistole ad Heb. caput et P. Curti in Diss. Romæ edita an. 1751. inscripta *Christus sacerdos.*

hircorum et vitulorum, sic etiam Christus sacrificium in cruce obtulerit per sui sanguinis effusionem priusquam intraret in sancta non manufacta, scilicet in cælum. Christus igitur sacerdotium suum adeptus est, ejusque partes implevit antequam ingrederetur in cælum, sicut sacerdos legalis sacerdotali dignitate obtinebat, et munus sacerdotis obibat priusquam intraret in sancta.

Pergit præterea ibidem Apostolus v. 24. in hunc modum: « Non enim in manufacta sancta Jesus introivit... sed in ipsum cælum... neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destinationem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata ». Jam vero quatuor hic ponit Apostolus, quæ necessario postulant Christum in mortali adhuc vita veri nominis habuisse sacerdotium ac verum et proprie dictum obtulisse sacrificium in morte sua.

Etenim primo pro certo sumit Apostolus oblationem Christi nonnisi semel factam esse. Ergo loquitur de oblatione quæ in cruce facta est, non autem in cælo, ubi quotidie interpellat pro nobis. 2. Ideo vero constituit Apostolus Christum nonnisi semel obtulisse semetipsum, quia alioquin ipse debuisset frequenter pati. Ergo loquitur de oblatione, quæ per passionem facta est; porro non in cælo sed in terris ac in cruce præcipue passus est Christus. 3. Tunc Christus ex Apostolo semetipsum obtulit ad peccatum tollendum, eum apparuit et manifestus factus est. At eum in cælum est ingressus non solum nobis non apparuit, sed potius sublatus est ab oculis nostris, ergo in terra suimetipsum oblationem fecit, seu tradidit se in sacrificium; 4. demum tunc Christus oblatum censendus est, cum abstulit peccata, obtulit enim semetipsum ad multorum exhaurienda peccata; sed ex Apostolo Petro, istud Christus præstitit in cruce moriendo (a). Quaquaversum igitur spectetur Apostoli oratio, constat instar certi principii habendum esse tum Christum vere sacerdotem fuisse, dum in terris degere, tum semetipsum in sacrificium obtulisse in morte sua. Et hæc de priori sacerdotii munere.

Altero autem sacerdotii officio, quod diximus in intercessionem consistere, in mortali adhuc vita Christum perfunctum esse, argumentum ineluctabile inter cetera exhibet s. Joannes c. XVII. in admirabili illa oratione quam post cenam Christus fudit pro omnibus tum presentibus tum futuris hominibus, ut suo loco ostendimus (b).

Utrumque vero sacerdotale munus quod in his terris Christus inchoavit, in cælis perfecit tum continua ac jugi sacrificii semel oblato applicatione, tum perpetua illa intercessione qua interpellat pro nobis.

(a) I. Pet. II. 24.

(b) Tract. de Deo, part. III, cap. IV.

PERSONE I.

Quæri autem solet in quo hæc Christi apud Patrem in cælis intercessio posita sit. Non desunt Patres, iique non pauci qui existimant Christum etiam in cælo orare et precando interpellare pro nobis (a). Hinc illud Augustini dictum: « Christus orat pro nobis, ut sacerdos noster, orat in nobis ut Caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster » (b). Communior tamen ac recepta sententia est, non aliud præ se ferre ejusmodi intercessionem, quam apparitionem ac præsentiam Jesu Christi coram Patre et continuam applicationem remissionis ad salutem quam ipse oblatione sanguinis sui nobis comparaverat; quæ apparitio cum habeat aliquam cum humana intercessione similitudinem, ideo figurata loquendi ratione, intercessio vocatur (c).

Cum verò per ipsam Incarnationem factus sit Christus Pontifex seu sacerdos, ut *Christi* nomen ipsum indicat, quod inde Jesus consecutus est (d), patet ipsum esse sacerdotem, neque præcise qua Deum ut contendebant ariani, neque præcise qua hominem, uti autumabant nestoriani juxta uniuscujusque sectæ principia (e) sed ut Deum-hominem, qualem et esse mediatorem mox dicemus. Humana enim natura spectari debet, ut *principium quo* (qui scholarum est sermo), operationibus sacerdotalibus Christus perfunctus est, et perfungitur; Verbum autem divinum, ut *principium quod* sacerdotales operationes seu officia exerit, iisque infinitum pretium et infinitam dignitatem tribuit. Recte Vigilii seu quisquis est Auctor V. librorum contra Eutychem lib. V. « Quia reconciliationis sacramentum, inquit, immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quæ ita media esset inter Deum et homines, ut et morti succumberet, per illud, quod hominis habebat, et mortem re-

(a) Cf. Petav. lib. XII. c. VIII. §. 10. seqq.

(b) Enarrat. in Ps. LXXXV. n. 1.

(c) Cf. tamen Petavium I. c.

(d) Est enim *Christi* appellatio non vox naturæ, sed personæ utraque naturæ constantis; cum hæc autem appellatio connexa est pontificia dignitas, cujus symbolum est unctio, quam nomen illud præ se fert. Quare Pontifex et Sacerdos in ipsa carnis susceptione factus est Dei Filius, quando divinitate est inuncta hominis assumpta natura. « Unctus est enim ille, ut ait s. Augustinus, ut rex et sacerdos ». Cf. enarr. II. in Ps. XXVI. n. 2.

(e) Cf. Petav. I. XII. c. XI. §. 1. seqq. Ariani enim, qui naturam Filii Dei, seu Verbi diversam a paterna, et ea longè inferiorem existimabant, eandemque cum carne conjunctam loco animæ esse credebant, quidquid in Christo inerat, vel ab eo gestum humile, Deoque minime dignum, utpote ex imbecillioris naturæ conditione, totum hoc divinitati illius adscribebant, velut dolorem, famem, sitim, aliaque ejusmodi, adeoque precandi et invocandi creaturæ consentaneos affectus. Christum propterea, qua Deus est, ut Patre minorem, sic ejus sacerdotem et mediatorem inter illum et humanum genus esse statuebant. Nestoriani autem, qui hominem a Deo esse reipsa divisum autumabant, statuebant Christum sacerdotem esse præcise qua hominem, nec patiebantur dici Filium Dei, vel Deum esse sacerdotem, etsi adderetur *secundum carnem vel ut homo est.* Vid. s. Cyrilli. lib. III. adv. Nestorium. opp. ed. paris. 1638. tom. VI. p. 64.

(Trente-six.)

vinceret per id, quod in se divinitatis tenebat (a). »

DIFFICULTATES.

I. Obj. Christus in terris degens proprie non fuit sacerdos, nec proinde verum obtulit sacrificium, sed solum post suum in cœlum ascensum, ubi quotidie se offert et interpellat pro nobis. Etenim 1. Apostolus Hebr. X. 5. et 9. de illa oblatione loquitur, quæ facta est in ingressu ejus quando sacrificia legalia abrogata sunt: at ingressus ille in cœlum factus est non autem in terras; neque enim statim ac in terras ingressus est Christus legalia sacrificia sustulit aut abrogavit. 2. Christus sacerdotium suum non obivit antequam ei dictum fuerit « Filius meus es tu, ego hodie genui te »: id autem factum fuisse, cum Deus eum a mortuis excitatum, Dominum et Christum constituit, testatur s. Paulus Act. XIII. 35. et Rom. I. 4. collat. Hebr. V. 5. Idem Apostolus 3. aperte testatur Hebr. VIII. 4. dicens: « Si (Christus) esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deservirent cœlestium. » Ergo Christus proprie sacerdos non fuit, nec sacrificium prius obtulit, quam in cœlis fuerit. 4. Hebr. VII. 26. Christus « Pontifex debuit sublimior cœlis fieri ». Ergo in cœlis prius esse debuit, quam sacrificium offerret. 5. Ibid. v. 24. probat idem Apostolus, Christum sempiternum esse sacerdotem, quia semper in cœlis pro nobis interpellat; jam vero si in ligno crucis sacrificium semel obtulisset, quid necesse foret eum continue pro nobis interpellare? 6. Neque demum prætereundum est, Jesum ipsum nunquam dignitatem istam sacerdotalem sibi attribuisse, eamque in sola ad Hebræos epistola, argutarum judaicarum plenissima, in ipsum conferri (b). Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. N. min. Diserte enim Apostolus X. 5. ejusdem epist. scribit: « Ideo ingrediens in mundum dixit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. » Ingressus vero iste in mundum non coarctatur ad illud instans quo Christus vel conceptus vel natus est, sed totum illud tempus complectitur quo Christus in his terris vixit. Hoc porro intervallo ac præcise in morte ipsius, ut superius diximus (c) profecto sacrificia legalia sin minus facto, jure saltem abrogata sunt.

Ad 2. D. Factus est sacerdos ab eo qui dixit ei *Filius meus es tu*, C. quando hæc dicta sunt ei N. Primum solum affirmat Apostolus cit. loc. alterum de suo adjiciunt sociniani. Addo, non solum in resurrectione sed ante id temporis declarationem ejusmodi a Deo Patre factam esse, tum in baptismo; tum in transfiguratione. Meminit autem Apostolus solius resurrectionis, quia per ipsam maxime patuit divina Christi filiatio, quæ est fundamentum

(a) Vid. Biblioth. patr. de la Bigne. t. V. col. 589. inscript. Vigilio Tridentino. Cf. tamen Papebrochium t. V. Junii p. 164. n. 8. seq.

(b) Ita quidem Wegscheider §. 154 et cum eo Ziegler *Einleitung in den Brief an die Hebræer* Gott. 1791. seu: *Introduction in epist. ad hebr.* Ammon *Bibl. theol.* III. 17. seqq.

(c) Hujus tractatus P. I. p. 984, ad. 3.

et causa sacerdotii Christi ejusque resurrectionis.

Ad 3. D. Si ejusdem ordinis fuisset sacerdotium Christi ac sacerdotium leviticum ejusdemque præstantiæ, C. si diversi ordinis et diversæ præstantiæ N. Contendit enim ibid. Apostolus longe excellentiorem esse sacerdotium Christi, quam fuerit sacerdotium leviticum ob plures causas quas ibi prosequitur, inter quas urgè objectum et efficaciam; *objectum* quidem, quia sacerdotium leviticum erat ordinatum ad solam emundationem carnis, sacerdotium Christi ad emundationem spiritus seu conscientie; *efficaciam*, quia illud utpote imperfectum sua sacrificia semper iterare debebat, sacerdotium Christi utpote perfectissimum et ratione sui et ratione sacrificii, una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, quin illud repetere necesse fuerit. Hinc concludit quod si paria fuissent ejusmodi sacerdotia et sacrificia alterutra inutilia forent (a).

Ad 4. D. Expleto ejus munere in terris, C. hoc non expleto N. Primum tantum affirmat Apostolus ut ostenderet, Christum, cum in cœlum ascendit quod in terris perfecerat, per applicationem complere.

Ad 5. D. Per continuationem muneris sacerdotalis in jugi applicatione meritorum suorum, C. secus N. Diximus porro in probationibus interpellationem Christi in cœlis in applicatione fructus sacrificii in cruce oblato ad expiationem peccatorum nostrorum consistere.

Ad 6. Resp. I. Dato etiam quod rationalistæ assunt, solum nempe Auctorem epistolæ ad Hebræos, ut ipsi loquuntur, attribuisse Christo sacerdotalem dignitatem, satis nobis esset ad arguendam impietatem socinianorum, cum ex perpetua ecclesiæ traditione divinæ auctoritatis sit ejusmodi Epistola. Resp. II. Falsam esse illorum assertionem. Cum enim Christus Matth. XXII. seqq. Marc. XII. 36. Luc. XX. 42. sibi applicet Psalmum CIX. in quo expresse Christi sacerdotium prædicatur, hoc ipso sibi metipsum sacerdotalem dignitatem attribuit.

II. Obj. Duo sunt, quæ prohibent quominus in morte Christi veri nominis sacrificium agnoscamus; ac primum quidem, quod contra omnium sacrificiorum naturam idem Christus fuisset simul hostia et sacerdos; secundum, quod illius sacrificii hostia non ab ipso sacerdote mactata fuisset; Christus enim a tortoribus morti traditus est. Nec juvat reponere ideo Christum sacerdotem fuisse atque ejus mortem sacrificium, quia illam mortem patienter sustinuit, siquidem et martyres omnes voluntarie pro Christo mortem fortissime tolerarunt, quin propterea veri nominis sacrificium illorum mors dici possit. Ergo.

R. N. A. Nam non prohibet primum tum quia hæc est prærogativa peculiaris sacrificii Christi quam scripturæ, Patres, liturgiæ, cæteraque omnia ejusdem generis documenta eidem vindicant; tum quia in cœlis

(a) Cf. Tournely de Incarnat. quæst. IV. art. H. argum. IV. respons. secundæ socinian. refutatio. Petav. lib. XII. capp. XI. seqq. Bernard. a Piconio Tripl. expos. in h. l.

ipsis, ubi, sociniani fatentibus, sacrificium Christus offert, idem est sacerdos et victima. Hoc autem maximo commendat sacrificium Christi, ut expresse declarat Apostolus Hebr. IX. 11. 12. cujus verba superius descripsimus.

Non prohibet alterum, quia tortores non tanquam sacrificatores mortem Christo intulerunt, sed tanquam instrumenta, quibus Christus usus est ad se immolandum pro vehementissima qua erga nos flagrabat charitate; *oblatus enim est, quia ipse voluit*. Hæc autem Christi morientis charitas infinite major fuit quam crucifigentium iniquitas.

Ad conf. N. par. Nec enim martyres instituti sunt sacerdotes ad offerendum semetipsos in veri nominis sacrificium, qualem Christum institutum fuisse declarat Apostolus Hebr. X. 5. verbis superius recitatis, et hucusque probavimus.

PROPOSITIO II. — *Christus Jesus veri nominis mediator fuit.*

Hæc pariter propositio ad fidem spectat, ut ex constanti et perpetua ecclesiæ catholicæ doctrina constat in sacris litteris et traditione fundata.

Etenim Apostolus conceptis verbis I. Timoth. II. 5. 6. inquit: « Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » Ideo autem ab Apostolo Christus mediator dicitur, quia « dedit redemptionem semetipsum pro omnibus »; Ergo non improprie, ut sequester, arbiter et advocatus mediatores dicuntur, Christus mediator tantum extitit; sed veri nominis mediator præterea agnoscendus est tanquam sponsor qui soluto pretio pro peccatis nostris satisfecit ac nos Deo reconciliavit, ut capite sequenti, fusius ostendemus.

Fuit autem et est veri nominis mediator Christus prout Deus et homo est. Dicitur enim in Scripturis Deum acquisivisse ecclesiam sanguine suo, tum *Domini gloriæ* crucifixum esse; aliaque ejusmodi de Christo prædicantur, quæ utriusque naturæ concursus supponunt in humani generis redemptione ac propterea in *mediatione* qua Christus perfunctus est. Quare s. Augustinus « Mediator, inquit; inter Deum et homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset (a). » In eundem sensum ceteri Patres tum græci tum latini loquuntur (b).

(a) Lib. X. Confess. c. XLII.

(b) Cf. apud Pet. lib. XII. c. IV. seqq.

Ut magis accurata habeatur notio mediationis, distinguendum debet *persona* mediatoris a *mediationis opere* seu munere. Ad verum et proprie dictum mediatorem constituendum in subjecta materia de qua agimus, requiritur concursus utriusque naturæ. Opus autem mediationis *positum* sola humana natura in Verbo subsistens, hæc enim sola potuit pati, mori, pretium solvere etc. natura vero seu persona divina non contulit nisi dignitatem et valorem ejusmodi operi. Cf. Petav. I. c.

Diversa tamen ratione unaquæque natura ad eju mediationem concurrat. Natura enim humana materiam, seu opus mediationis subministravit, Verbi vero hypostasis valorem et dignitatem in opus contulit. Ex hac autem animadversione erroris convincuntur sive ii, qui Christum mediatorem ut Deum tantum cum veteribus arianis asserunt, sive qui eum talem ut hominem tantum extitisse autumant cum Francisco Stancharo ac sociniani. Hi enim rati sunt non potuisse Christum esse mediatorem ut Deum, ne in absurdum illud incidamus, ut eum fuisse mediatorem suimet ipsius affirmemus. Reponimus enim non eo modo, quo unus est de Trinitate, mediatorem esse Christum; quippe persona eadem Verbi, qua Deus est, citra carnis communionem, sive cogitatione ab hac abstracta, in Trinitate secunda numeratur; quatenus vero hic homo est, et humanam naturam quodammodo informat, ac terminat, mediatoris partes ac munus implet (a).

Si præterea Christus veri nominis mediator fuit, quatenus tanquam sponsor pro nobis satisfecit, colligimus Christum ante Incarnationem improprie tantum potuisse dici mediatorem, prout a ss. Patribus præsertim antiquioribus prædicatur, quatenus nempe spectabatur ut internuncius ac interpret divinæ voluntatis apud homines in frequentibus illis apparitionibus in quibus sub adspectabili specie videndum se præbuit; vel etiam quatenus Deus intuitu futuræ ejus mediationis et meritorum peccata condonavit, et vitam æternam illis impertitus est, qui in eundem Christum venturum rite credidissent (b).

Cum præcipua controversia, quæ circa Christum mediatorem inter catholicos et socinianos agitur, afficiat ipsam satisfactionem, ideo difficultates, quæ adversus propositionem quam adstruximus, moveri solent, commodius referemus in sequenti capite.

CAPUT VI.

*De Christi satisfactione et merito.*

Satisfactio, ut loquitur Catechismus rom. (c), est rei debitæ integra solutio. Nam quod satis est, ei videtur nihil deesse. Res autem debita aut personalis est aut realis. Debitum *personale*, ut vocant, illud est quod oritur ex injuria alteri illata; *reale* est illud, quod exurgit ex re aliqua, e. g. pecunia, qua erga alterum obstringimur. In priori significatione hic satisfactionem accipimus, quatenus nempe *personalis* est; quo sensu idem satisfacere significat, quod alteri tantum præstare, quantum irato animo ad ulciscendam injuriam satis esse possit; atque ita satisfactio nihil aliud est, quam injuriæ alteri illatæ compensatio.

Rursum satisfactio hæc personalis bifariam sumitur, proprie scilicet aut improprie. *Proprie* ille satisfacere censetur qui ad justitiæ rigorem injuriam al-

(a) Cf. Petav. I. c. IV. § 6.

(b) Cf. Petav. I. c. cap III.

(c) P. II. c. V. § 62.